EPISTOLA

OCCASIONE

FOLII

CUI TITULUS

Memoire touchant le deſſein qu'on a d'introduire le Formulaire du Pape Alexandre VII. dans l'Egliſe du Pays-bas.

Janſeniſtæ meditantur tumultus in Belgium revocãre, & incipiunt ab ea parte à qua omnes perturbatores incœperunt, ab injuſta ſcilicet querela Privilegiorum violationis. Illuſtriſſimus Brabantiæ Cancell. de Chriſtyn in literis ſuis ad Regem Catholicum.

Hujus mali (Hæreſis Janſenianæ) vivacitas numquam penitùs extinguetur, niſi contrà contumaces, ad pœnas præſcriptas, in Conſtitutione felicis recordationis Innocentii X., & in alia noſtra, ſeriò procedatur, invocato etiam, ſi opus fuerit, Brachii ſæcularis auxilio. Alexander VII. in Reſcripto ad Cardinales, Archiepiſcopos & Epiſcopos in Comitiis Generalibus congregatos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum Facultate Superiorum.

CCEPI, non ita pridem, *Folium*, de quo in literis tuis meministi.

Si inepta, & quæ ad rem non faciunt, seponas, tria sunt, quæ potissimùm prosequitur.

1. Nullas Constitutiones Ecclesiasticas, etiam Apostolicas, in quâcumque materiâ illæ versentur, sive *Dogmatica* illa sit, sive puritati Fidei consulat, sive aliò respiciat, nullas, inquam, in Belgio vim obtinere, nisi prius *Regio Placito*, ut appellamus, fuerint munitæ.

2. Decreta Pontificia, quæ Alexandri VII. *Formularium* subscribi mandant, ejusmodi *Placitum* in Belgio non obtinuisse.

3. Non expedire, ut Constitutionibus illis Apostolicis, *Placitum* in Belgio concedatur.

Et hæc quidem, non quasi ea evincenda esse credat, sed ex more sectæ confidenter, ut apud rerum conscios, si nihil obtineat, imperitos, mirabili suâ in dicendo fiduciâ, tantisper attonitos habeat, dubiosque.

His item hâc Epiſtolâ meâ, tria oppono.

1. Conſtitutiones Apoſtolicas, illas potiſſimum, quæ ſunt in materia *Dogmatica*, quæque veritati, aut puritati Fidei conſulunt, *Principali placito* non indigere, ut vim obtineant in Belgio, ibidemque Catholicorum conſcientias ligent.

2. Conſtitutiones Apoſtolicas, quibus errores Michaëlis Baji, ac Janſenii Epiſcopi Iprenſis proſcripti ſunt, & quibus Alexandri VII. *Formularii* ſubſcriptio imperatur, ac exigitur, omnes volente & urgente Catholico Rege, in Belgio promulgatas eſſe, atque receptas ab Ill.mis Belgii Epiſcopis, & Univerſitate Lovanienſi.

3. Ad veritatem & puritatem Fidei in Belgio conſervandam, Medium inprimis utile, ac unicè neceſſarium eſſe, prædictarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, conſtantem obſervationem ac executionem.

His demonſtrandis, ſatis ſunt ipſa, quæ ad ſingula adduco inſtrumenta, adeò nihil adminiculis opus, cum id, quod res eſt, dicendum ſuſcipitur.

PA-

PARAGRAPHUS 1.

Conſtitutiones Apoſtolicæ in materia dogmatica & ad mores ac fidem ſpectantes, ex Juriſperitorum Belgarum judicio, Regi Catholico cognito; ex ipſa Regia voluntate, ex teſtimoniis Summorum Pontificum, principali & ſolemni Placito *non indigent, ut apud Belgas obtineant, eorumque conſcientias ligent.*

QUærit hoc Franciſcus Zypæus tit. *De Conſtitutionibus* in analyſi Juris Pontificii, An Conſtitutiones Apoſtolicæ, in Belgio effectum habere non poſſint, niſi prævio Principum *Placito*? Tum

(atque ut intelligas, multâ rei indagine detentum, non veluti ex aliena opinione sentire) *Profecto*, inquit, *si res, ut se habet, examinetur, ad nullius Constitutionis, Legisve Ecclesiasticæ promulgationem, Placito Principali opus esse judicabit, qui non ex præjudicatâ aliquâ opinione, sed ex vero statuere volet: nulla enim Edicta id mandant, quoad Leges Constitutionesque Apostolicas, sed quoad Rescripta tantum privatis data, eaque non omnia, sed Beneficiaria tantum: quæ enim reperiuntur in libro Edictorum, sub Rubrica octava, de causis Benefic: omnia, tam narrativis verbis (quæ impulsivam, & finalem causam earum Constitutionum continent) quàm dispositivis, sonant de provisionibus Beneficialibus.* Explicatiora sunt ista, quàm quæ Folium illud obtegere possit, nec minus firma validaque: supersunt in hanc diem antiquiora Edicta, tum illud quod datum est 20. Maii 1497. tum Caroli V. 20. Octobris 1541., indè Ordinatio Engelberti Nassavii Præfecti Regii anno 1493. 28. Octobris. Mariæ Regentis ad Concilium magnum Mechlinienſe 13. Maii 1553. Et supersunt, ut, quod

quod est antè explicatum, suo tenore confirment: ea sunt enim, eodem illo teste, ex quibus, *Liquidum est, Edicta ea omnia, non nisi ad Beneficialia, & abusus circa ea porrigi, non verò ad cursum impediendum Constitutionum Apostolicarum, quæ pro salubri regimine Ecclesiæ, maturis & repetitis deliberationibus, ad tollendos abusus cum magno decore domûs Dei, incremento politiæ Ecclesiasticæ, & augmento justitiæ Sæcularis promulgantur. ... Sic qui Historias nostrates scripserunt, de inhibitionibus ejusmodi circa Beneficialia meminerunt, neque ulterius ... hactenus, post integrum sæculum, à primis Edictis, elapsum, & amplius, nequidem in Concilio Brabantiæ, esse videtur Formulare Placiti aliud, quàm pro Bullis Beneficialibus.* Adde Zypæo Wamesium, Valdensem, Christinæum, quos omnes habes in hanc sententiam concordes.

Magnum est in hanc rem pondus ab horum concordia, majus præterea, quia Regi Catholico indicata, & cognita. Ill.^mus pro Pontifice apud Catholicum Regem Nuntius 13. Junii 1659. refe-

 rebat

rebat in oblato ſuo, Regi, libello,

No riquiriendoſe el Placet, ſi no en materia beneficial y litigioſa inter partes,

Placetum *cum non requiratur, niſi in materiâ beneficiali, & litigioſa inter partes*

tum continuò ſubjungit :

Lo qual es tan bien conforme a las doctrinas de los miſmos Juriſperitos Flamencos,

Quod & ipſum conforme eſt doctrinæ Juriſperitorum Belgarum.

Zypæus in analyſi Juris Pontificii tit. de Conſt. n. 2. poſt Wameſium, Weyms, Valdenſem, & Chriſtinæum in ſuis Deciſion. Belgicis, qui idem tenent.

Quin & modò, quoniam in ea re ſumus, accipe & illud inſtrumentum, cui titulus: *La forme du gouvernement politique des Provinces du Pays-bas, ſous l'obeïſſance de Sa Majeſté Catholique Philippe IV.* ibi ſub titulo, *La Cour de Rome*, ſic legere eſt : *Semblablement nulles Bulles, ou proviſions de Benefices, impetrées à Rome, peuvent eſtre miſes en execution, ſi premierement les Impetrants d'icelles, ne les ont exhibé au Conſeil Privé de Sa Majeſté, & y obtenu lettres de Placet, ou aggreation, leſquelles*

lettres ſe refuſent, quand leſdittes proviſions, ou Bulles ſeroient prejudiciables aux droits, & uſages anciens du pays, ou quand la perſonne beneficiée, à cauſe de ſa naiſſance, origine, ou autrement, ſeroit avec ſujet legitime tenuë pour ſuſpecte.

Et hæc quantum apud te obtinere debeant, indè intelligis, quod nihil illic aliud occurrat, quod ejuſmodi *Placito* indigere moneamur. Erit fortaſſè qui exiſtimet, vel ſic aliquid in Belgio detractum eſſe Summis Pontificibus, aut hæc non niſi ipſis invitis emanaſſe: imò, quàm ſint hæc omnia ex mente Summorum Pontificum, conſpicuum eſt, ex toto tit. *De reſcriptis, patienter ſuſtinebimus*, inquit ibi Alexander III. ad Archiepiſcopum Ravennatem, *Si non feceris quod pravâ nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Idem Lucius III., idem alii Pontifices orbem docuerunt, atque ex eorum omnium judicio, id rectè dictum accepimus: *Solemne Eccleſiæ eſt, Divinum Regimen imitari, nec ſolùm attingere à fine, uſque ad finem fortiter, ſed etiam diſponere omnia ſuaviter. Itaque honoris Principi debiti meminit, illorum jura ſervat illæſa, populorum*

lorum ſtudia, & uſus attendit, omniaque ita ponderat, ut conſenſum & obedientiam potiùs obtineat, quàm extorqueat.

Quanta verò hìc eſt, inter Sacerdotium, & Imperium, miſerante Domino concordia, tanta profectò eſt, cum ad eam materiam acceditur, quæ fidem reſpicit, ac mores, ac propterea ad Rempublicam Catholicam quàm maximè attinet: ſi quando emanant Conſtitutiones Apoſtolicæ in materia *Dogmatica*, ſi Summus Pontifex Eccleſiam docet, & Catholicæ Fidei puritati, pro auctoritate ſua, quæ ſumma eſt, conſulit, non vult Rex Catholicus, non vult, inquam, ejuſmodi Conſtitutiones principali *Placito* opus habere: hujus mihi teſtimonium non aliud appello, quàm quod nemo recuſet, literas Excell.mi Ludovici de Benavides Marchionis de Caraçena, locumtenentis Gubernatoris & Capitanei Generalis Belgii ac Burgundiæ: harum literarum inſcriptio eſt, *Meſſieurs le Preſident & du Conſeil Provincial de Flandres*:

Haviendo viſto (verba ſunt ex ipſo ori- | *Viſis, ac per Suam Majeſtatem ſeriò ex-*

ginali

ginali à me transumpta) *y eſaminado ſeriamente por Su Mageſtad, lo que aveis repreſentado por vueſtro parecer, ... os diremos que la intencion de dicha Mageſtad, ſegun lo que eſpreſamente nos ha eſcrito, no es de pretender, que para la publication de las Bullas Dogmaticas, emanadas de Su dicha Santidad, ſea neceſſario obtener cartas de placet, y aſſi viendoſe baſtamente que la dicha Bulla, es de naturaleza y calidad Dogmatica, os ordenamos, en nombre, y de parte de Su dicha Mageſtad, que no movais, ni pongais difficultad*

aminatis, quæ ex opinione veſtra exhibuiſtis, ... ſignificamus, intentionem Suæ Majeſtatis, ut Ipſa expreſſis verbis ſuis ad nos ſcripſit, non eſſe, ut velit ad publicationem Conſtitutionum Dogmaticarum *à Sua Sanctitate emanatarum, neceſſarium eſſe, literas* Placiti *obtinere. Quare cum ſufficienter appareat, dictam Conſtitutionem* Dogmaticam, *eſſe, Ordinamus, Nomine, & ex parte Suæ Majeſtatis, ne moveatis, aut interponatis difficultatem quamcumque, adverſus* Publicationem *illius* Conſtitutionis, *aut ali-*

al-

alguna, à la publication de aquella Bulla, ni otras que pudieren offrecerse de la misma naturaleza.

arum, quæ ejusdem naturæ se possent offerre.

Advertes opinor, quàm hìc multa paucis sint indicata: scribit Vir Excell.mus lecta esse, addit & exàminata, & seriò ac attentè, quæ pro judicio transmissa erant, tum post hæc omnia, non velle Regem, imò nec prætendere, Constitutiones *Dogmaticas*, *Placito* opus habere, & ne quid de hac Regis voluntate dubites, hæc, inquit, Suæ Majestatis intentio est, ut suis Ipsa, & apertis verbis ad nos scripsit.

Quid ad hæc Autor Folii? Scis eas Regis Literas datas esse Madriti 12. Augusti 1660.: consonant aliæ anteriores Madrito 13. Junii 1659.: illis iterum sic accipitur: *Le tout bien considerè, attendu même que la matiere dont il s'agit* (agebatur autem de Decreto Alexandri VII. & S. Officii dato 6. Septembris 1657.) *est purement dogmatique, n'estant les Placets requis, qu'en matiere beneficielle & litigieuse entre parties.*

Clementiſſimi Reges, ut pro Catholica ſua pietate, puritatem Fidei, etiam ſanguine tueri, non ei malè inſidiantibus favere volentes, numquam ejuſmodi Conſtitutionum Apoſtolicarum curſum impediri permiſerunt, ita nec paſſi ſunt Romani Pontifices: & illud hìc proſequi neceſſe fuit, ne qui fortè verum exiſtimarent, quod ab Huberto Loyens ſcribi contigit aliquando, & ex Bertrando Loth mutuaſſe videtur, hunc uſum, omnes quaſcumque Conſtitutiones, non ante adjunctum *Placetum* recipiendi, *Firmatum eſſe, ſcientibus, & non reluctantibus Summis Pontificibus, eorumque Legatis*; id enim ipſorum Summorum Pontificum inſtrumentis, ex vero ſcriptum non eſſe, facilè intelligitur. Prædicto Alexandri VII. Decreto 6. Septembris 1657. cum fortè remoram quamdam injici contigiſſet, ab emanato in Brabantia hdicto, eodemque caſſari, illius factam Mechliniæ ab Archiepiſcopo Promulgationem, *eo ſub pretextu*, inquit Alexander VII. Decreto ſuo 14. Martii 1658., *Quod in Brabantiæ Provincia, ſeu Ducatu, non poſſint talia Decreta publi-*

blicari, vel executioni mandari, ſine permiſſione, & placeto. Cumque hoc ſit alienum, pergit loqui Pontifex ibidem, *à ratione, & pietate, ac Religione, Catholicorum Principum, & præſertim Sereniſſimi Philippi Hiſpaniarum Regis, Principis verè Piiſſimi, ac Religioſiſſimi, quod Decreta Pontificia, animarum ſalutem, mores, ac regimen Eccleſiæ univerſæ concernentia, non poſſint in Provinciis publicari, vel executioni demandari, ſine permiſſione ſiue placeto, cum certiſſimum ſit, poteſtatem, à Chriſto Domino noſtro, Pontifici, ejus in terris Vicario, traditam, ad Eccleſiam, quam hic Sanguine fundavit, regendam, ullis Laicorum Principum Edictis, Legibus, Statutis, Pragmaticis impediri, reſtringi, aut coarctari, nullo modo poſſe, nec Pontificalem, aut Sacerdotalem Dignitatem, & Authoritatem cadere ſub manu Regia* : poſt quæ omnem remoram illam *improbat, caſſat ac irritat*, aliaque mandat eo ſpectantia : ego ſi tantundem ad te ſcripſero, an me parum tibi reluctatum fuiſſe exiſtimabis ? Sanè illud à Regia mente perquàm alienum fuiſſe, ſuis ipſe Rex literis, & ſuperiùs

indicatis

indicatis, abundè teſtatus eſt, denuò declarans, *Que les Placets n'eſtoient requis, qu'en matiere beneficielle, & litigieuſe entre parties.*

Alexandro VII. præivit Innocentius X. Literis ſuis datis 11. Novembris 1651.

Acciderat ſcriptum eſſe, Conſtitutionum Apoſtolicarum, etiam in materia *Dogmatum*, & *Fidei*, poſt publicationem, in conſuetis Romæ locis factam, exiſtentium in iſtis Provinciis hominum conſcientias non ligare, niſi denuò in eis publicentur, & poteſtatis temporalis *Placito* muniantur, ad id etiam Privilegiis, Libertatibus, & Conſuetudinibus allegatis: vide, quàm hæc ſciens Pontifex obſtiterit, *Audiri*, hoc inquit, *ſine animi horrore non poteſt. Etenim numquam planè cognitum eſt, ab ullo, vel Summo Pontifice, vel Concilio, privilegium tale Apoſtolicæ Autoritatis deſtructivum prodiiſſe, nec aliquis hìc audeat Principis temporalis Privilegium allegare, quoniam id eſſet Autoritatem ligandi, & ſolvendi animas, à Chriſto Domino, ſoli ejus Vicario, & nemini præterea conceſſam, ſibi temerè arro-*

ga-

gare: cum igitur potestas terrena, res terrenas non excedat, quomodo spiritum à Judicis spiritualis potestate subtrahere poterit? Planè adversus Pontificum autoritatem, in rebus præsertim ad Fidem, & Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, nec libertates, aut consuetudines induci, nec præscriptiones locum habere, ullâ ratione possunt: & quantò istæ libertates, & consuetudines, aut potiùs abusus antiquiores habentur, tanto utique invalidiores & detestabiliores sunt. Et quæ plura sequuntur in hanc sententiam: quamquam & hæc satis esse arbitror, ut id quivis intelligat, secus, ac scriptum est, nihil in hac re actum esse *scientibus & non reluctantibus Summis Pontificibus.*

Vereor, ut hic sibi temperet Autor Memorialis, adeò continuò occurret, novum ardorem hunc, Pontifices incessisse, cum se turpi Jesuitarum suggestione circumduci primùm permiserunt: sic modò Jesuitis indignari placet, quasi ii omnem in illos potestatem excitaverint, modò insultare, veluti, quorum *Scholæ*, ut loquuntur, mutuatâ ex *Calvino* doctrinâ, *Jansenius*, splendorem non parùm

rùm diminuiſſet : ſed credo memoriæ exciderunt , quæ hìc repeti poſſunt, & quorum meminimus antiquiora : Innocentius VIII. 8. kal Octobris 1491. graves pœnas ſanxit in eos , qui Mandatorum Apoſtolicorum executionem impediunt. Leo X. kal. Martii 1518. omnia Statuta, & Ordinationes , quæ fiunt in injuriam Literarum Apoſtolicarum, nullius eſſe roboris vel momenti declarat: Clemens VII. 4. kal. Januarii 1533. perſonas excommunicat, loca interdicto ſupponit, quorum conſenſu, favore, & conatu , Literas Apoſtolicas ſine executione remanere contigerit.

Sed placet aliquid homini gratificari; poſſeſſionem, inquit, ejuſmodi *Placiti* Rex diu adivit, tum in omni ditione ſua , tum maximè in Brabantia, ſervat uſum , eumque conſtantem : nihil equidem hìc nego, quamquam nec ſic, ei quidquam aſſentior , quàm enim hâc in re poſſeſſionem , quem uſum eſſe velit Rex Catholicus, ipſe ſuis antè Literis indicavit:

La intencion de Su dicha Mageſtad, ſe-

Intentio Majeſtatis Suæ , ut Ipſa exgun

gun lo que eſpreſamente nos ha eſcrito, no es, de pretender, que para la publication de las Bullas Dogmaticas ſea neceſſario de obtener cartas de Placet.

preſſè verbis ſuis ad nos ſcripſit, non eſt, volendi, ut ad Publicationem Conſtitutionum Dogmaticarum, *neceſſarium ſit literas* Placiti *obtinere.*

Quid eſt, obſecro, quod ad rei demonſtrationem ultrà deſideras? Sanctiones *Dogmaticas*, ut in Belgio Catholicos ligent, Principis *Placito* non indigere, docent Juriſperiti, doctrinam Rex agnoſcit, cognitam, ſuo judicio confirmat, firmatamque declarat.

Nolim tamen illum, quaſi non auditum dimittere.

Tria, pro ſe Edicta adducit, alterum *Philippi Boni* 3. Januarii 1447. alterum *Philippi Archiducis Auſtriæ* 20. Maii 1497. ac tertium *Philippi II. Hiſpaniarum Regis* 1574.: hæc in ſubſidium ſuum advocavit, his rem conficere debet, quam vel propemodùm illis confectam concederem, ſi in eorum aliquo, mentio ſaltem incideret *Sanctionis Dog-*

ticæ;

maticæ, tam ſingula ineptè ſunt indicata, ac præter omnem rem de qua agitur.

1. Edictum hoc *Philippi Boni*, non agit de Summo Pontifice, ſed de Epiſcopis Leodienſi, & Cameracenſi: patet hoc apertiſſimè vel ex ipſo titulo, qui ſic ſonat:

Privilegium Ducis Philippi Boni, conceſſum duobus Statibus ſæcularibus Brabantiæ, contra Epiſcopos, Leodienſem, & Cameracenſem, ne Monitiones, *aut* Inhibitiones *facere poſſint, aut alia* Mandata, *in Brabantia, niſi de Beneficiis Eccleſiaſticis, ſine conſenſu* Officiariorum, *& Urbium Capitalium Brabantiæ, quæ tunc ſeptem numero erant.* 3. *Jan.* 1447.

Privilegie by Hertogh Philips den Goedertieren ghegeven aen twee Weireltlijcke Staeten van Brabant, jeghens de Biſſchoppen van Luyck ende Camerijck, van dat ſy gheen Monitien, Inhibitien, ofte andere Geboden moghen doen in Brabant, 't en waere van Geeſtelijcke Beneficien, ſonder conſent van de Officieren, ende Hooftſteden in Brabandt, die doen ter tijt waeren 7. in ghetal den 3. *Jan.* 1447.

Solum hunc titulum, Edictum hoc prosequitur, Statibus illis *Brabantiæ*, concedit *Philippus Bonus*, ne subditi illorum, nisi in hìc exceptis, à nominatis Episcopis in judicio conveniri possint: hoc modo, ne etiam ab Universitate Lovanienſi conveniri possint, Incolis *Brabantiæ*, concessit idem *Philippus Dux* 28. Novembris 1457.: scilicet de hoc *foro competente*, multa tunc lis fuit, de qua vide, si vacat, in Jure Pontificio novo lib. 2. *De Judiciis* tit. *De foro competenti*, variaque eo spectantia Concordata, quæ habes Lib. Ordinationum Brabantiæ lib. 1. tit. 1., quod autem eo Edicto concedit *Philippus Bonus*, idem antè *Brabantis* concessum est 3. Jan. 1355 tempore *Joannæ*, & *Wenceslai* Ducum *Brabantiæ*.

2. Non agit de consensu ipsius Principis, vel *Placito* Supremæ ullius Curiæ, sed de consensu *Officiariorum septem Urbium Capitalium Brabantiæ*, in suis respectivè territoriis: patet hoc iterum ex ipso titulo, tum ex Edicti tenore.

3. Non agit de *Constitutionibus* & *Decretis Romanis* in materia *Fidei*, vel *Reli-*

Religionis, ſed de *Citationibus* coram Judice, in litigiis & controverſiis privatis, vel de *Inhibitionibus* contra ipſos Judices, cauſâ *Officii*, idque in iis tantùm caſibus, quorum cognitio ſpectat ad tribunal ſæculare, utrumque ſola Edicti lectio manifeſtat, illius verba hæc ſunt:

Declaramus, ne quis ex nunc, Subditorum noſtrorum, alium Subditum noſtrum citet, aut citari faciat, aut citetur, per ſe, aut per alium, ad aliquem Judicem Eccleſiaſticum: ne quis etiam inferat, aut executioni mandet, aut inferri vel executioni mandari, curet, aliquas Monitiones Eccleſiaſticas, Inhibitiones, aut alia Mandata in aliqua Officialium Juriſdictione, aut

Doen te weten, dat van nu voortaene niemant van onſen Onderſaeten den anderen onſen Onderſaeten en daeghe, nochte en doe daeghen, nochte en werde ghedaeght te worden, by hemſelven, ofte iemanden anders, voor eenighen Gheeſtelijcken Richter, noch ook en brenghe, oft en exequere, noch en doe brenghen, oft exequeren, eenighe gheeſtelijcke Monitien,

aliorum Subditorum, ejuſdem noſtræ Brabantiæ, quacumque ex cauſa, exceptis ſolùm Beneficialibus, niſi prius adeat Officiarium noſtrum, & Scabinos Urbium Capitalium Brabantiæ.... iiſque diſertè exponat rationes, quas habet utendi foro Eccleſiaſtico.

Inhibitien oft andere Gheboden op eenighe Officiers Wetten oft andere Onderſaeten des ſelfs ons landt van Brabandt &c. en kome eerſt by onſen Officier.... ende gheve den ſelven klaerlijck te kennen, waerom hy hem met den voorſ. Geeſtelijcke Gerechte ſal willen behelpen.

Et hoc unum publicatum *Edictum* eſt, ex quo ei verba quædam excerpere placuit, nullum ad rem ſuam: hoc *Edicto* ſcribere non erubeſcit, omnibus interdici, ne quis ullum *Breve*, aut *Decretum Romanum*, *aucuns Brefs*, *ou Decrets de Rome*, aut inferat in Belgium, aut mandet executioni: cujus, cum *Edictum* non meminit, neceſſe habuit, illud de ſuo addere, & addidit enimverò, atque eo pondere, quod tam ſincera additio mereri poteſt.

Exſpecto, ut quis ad hanc accuſationem

nem depellendam, id unum cauſetur: *Edictum* illud, huc adduxit Zypæus, adduxit *Antonius Anſelmo*, *Bertrandus Loth*, *Hubertus Loyens* in Tractatu *De Concilio Brabantiæ*, an non integrum eſt, Authori Memorialis adducere quod ipſi adduxerunt? Imò integerrimum, ſed adducere illorum exemplo, ut cum iis concluderet, nihil ex eo *Edicto* intelligi de Conſtitutionibus *Dogmaticis*: ſic univerſim oſtendit, & concluſit *Zypæus*, magis etiam particulariter, de Edicto hoc, *Antonius Anſelmo* in *Codice Belgico* fol. 49. *Edictum*, inquit, *Philippi 3. Jan. 1447. loquitur de Citationibus & Monitionibus, & Inhibitionibus Epiſcoporum, uti tunc erat Archiepiſcopus Cameracenſis*, *verbis*, Gheeſtelijcke Hove, *item* Gheeſtelijck Gherecht. *Curia Eccleſiaſtica*, *Judicium Eccleſiaſticum. Bertrandus Loth* ex *Zypæo* reſpondit, *Hubertus Loyens*, nec rem ibi examinat, nec ut oſtendi, omnia refert ex vero, cui cum ſoli, & non examinanti adhæret, omnino abs re *Edictum* illud attulit, ut ex eo extunderet, quod qui ipſum examinarunt & legunt, ab illo quàm longiſſimè abeſſe intelligunt.

Ad aliud delabitur, eandem rem, inquit, præstitit *Philippus Archidux Austriæ*: enimverò eandem rem præstitit, *Edicto* suo 20. Maii 1497. Nempè cùm antè cautum esset, ex Pontificia voluntate, ne Rescripta Beneficialia, effectum antè sortirentnr, quàm res ferret: *Decreto* illo, ut habet Autor *Juris Pontificii novi*, *Ab abusibus ejusmodi Bullarum, Procurator Generalis refertur nomine Principis appellasse ad Pontificem Alexandrum, & Sanctam Sedem, & in defectum sufficientis provisionis ad futurum Concilium: porrò Trid. Conc. ejusmodi abusibus providit sufficientissimè, undè videri possit cessare nunc ejusmodi Edicta:* Verùm nihil hic iterum de *Constitutionibus Apostolicis* in materia *Dogmatica*, nihil undè quis vel suspicari posset, eo statutum esse, Non obtinere hic Constitutiones Apostolicas, etiam cum *Fidei* integritati, & puritati consulunt, nisi Principis Sæcularis *Placito* fuerint munitæ.

Ad ultimum igitur, quod allegat, *Edictum* acceditur: sed neque ex eo quidquam præsidii est; *Le Roy Philippe*,

pe, inquit, *en fit auſſi publier un Edit Solemnel en* 1574., quidni hìc diem allegat *Publicationis?* Cur ait: *En fit auſſi publier un Edict; Juſſit etiam publicari Edictum?* cur non ſcribit apertè *Publicatum* eſſe? adduci enim non oporteret niſi ejuſmodi eſſet, ſed credo ita loqui maluit, ut qui non attenderent, tamquam *Publicatum* adduci exiſtimarent, qui verò legerent attentiùs, falſitatis eum meritò hìc arguere non poſſent: licet enim illud fortè *Publicari* voluerit *Philippus II.*. *Nondum tamen mihi conſtat*, inquit *Zypæus* Anno 1640. lib. 1. de Conſtit. n. 2. in fine, *èſſe authenticum aut promulgatum*: & Anno 1649. in *Codice Belgico* fol. 49. *Antonius Anſelmo*, Edictum *de Anno* 1574. *non reperio publicatum, aut invulgatum, verum ut quidam volunt, ad Concilia in Belgio eſt miſſum, & in publicis monumentis cuſtoditum.*

Fac tamen *Edictum* hoc authenticum eſſe, ſit etiam *Publicatum*, numquam id ſtatuit, Regio *Placito* opus eſſe, antequam hìc vim habeant Conſtitutiones Apoſtolicæ in materia *Dogmatica*, ſed demus

demus hoc etiam, quod non eſt, *Edicto* illo ſtatutum eſſe, cujus roboris vel hinc illud exiſtimari deberet datum Anno 1574., quando integro ferè poſt ſæculo, ſive Anno 1660., ipſe omnes docuit Excell.mus Belgii Progubernator:

Os diremos que la intencion de dicha Mageſtad, ſegun lo que eſpreſamente nos ha eſcrito, no es de pretender, que para la publication de las Bullas Dogmaticas ſea neceſſario obtener cartas de Placet.

Significamus intentionem Suæ Majeſtatis, ut ipſa expreſſis verbis ſuis ad nos ſcripſit, non eſſe ut velit ad publicationem Conſtitutionum Dogmaticarum *neceſſarium eſſe literas* Placiti *obtinere.*

Et hæc omnia ſunt, quæ pro ſe placuit adducere, omnia aliò ſpectantia, quàm quò ipſe vellet.

Subit interim mirari, genium Sectæ, perquàm ſingularem, quam modò tabulam arripit, paulò poſt iterum dimittit, neque hoc denuò conſtanter.

Illuſtriſſimi Mechlinienſis, & Namurcenſis, Subditis ſuis *Formularii* ſubſcriptionem injunxerant, quæ in utrumque

que non evomuit turpis libellus, *Reflexions de Religion, & d'Eſtat ſur le Formulaire?* Quæ cauſa ejuſmodi rabiei? Quia inconſulto, inquiunt, Pontifice, *Subſcriptio* illa exigitur: bene habet, deſinent queri igitur, ubi illam Pontifex imperaverit, ac jam imperanti acquieſcent. Fallimur Amice, non Pontificis conſenſum abeſſe queruntur, quaſi ſi adeſſet obedire non detrectarent: ille ſi maximè adfuerit, ſi mandato inſtet, ac urgeat, aliud extundent, quo evadere ſe poſſe exiſtiment: ſcilicet Pontificis Juſſa illi non requirunt, niſi ut quæ è genio ſuo non fuerint, vilipendant & negligant, qui alibi ſilentium ſpondent, ſed quod præſtant clamoſiſſimum, & addicunt reverentiam, ſed quàm non exhibent, niſi inverecundam.

Decreto ſuo Innoc. XI. proſcripſit 65. *Propoſitiones*, Alexander VIII. Decretum edidit contra *Peccatum Philoſophicum*: Anno 1694. allatum *Breve* fuit Innocentii XII., ſingula ſæpiùs impreſſa, ubique ſparſa, ubi tunc Principis *Placitum*, ubi Jura Patriæ? ubi Leges? Poſſeſſio & Uſus? Enimvero jam prodierant,

rant, Edicta *Philippi Boni*, *Archiducis Austriæ*, *Philippi II.*, *Nemo inferat aut executioni mandet aucuns Brefs ou Decrets de Rome*, ut falsò scribere voluit: dimittenda tunc erat illa tabula, & in hoc tempus dilata est, utrumque nullo successu, quàm enim nihil obsit Constitutionibus *Dogmaticis*, evici ut arbitror superiùs: ostendi, quod mihi sumpseram, & ex ipsis Clementissimorum Regum nostrorum testimoniis ostendi, Constitutiones Apostolicas in materia Dogmatica principali *Placito* non indigere.

Intelliges tu quidem interea, quàm id rectè scriptum habeas in literis Ill.mi Cancellarii de Christyn ad Regem Catholicum: *Cruenta etiamnum ingemiscit Historia Belgii, seu antiquas, seu recentes, & nondum obductas cicatrices refricet, omni ævo vipera, Matris Belgicæ viscera dilaceraverit, querela de* Privilegiorum suorum *violatione*: ... Jansenistæ *meditantur tumultus in Belgium revocare, & incipiunt ab ea parte, à qua omnes perturbatores incœperunt, ab injusta scilicet querela* Privilegiorum violationis.

§. 2.

Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus errores Michaelis Baji, ac Corn. Janſenii Ep. Ipr. proſcripti ſunt, & quibus Alexandri VII. Formularii ſubſcriptio exigitur, omnes volente atque urgente Cathol. Rege in Belgio promulgatæ ſunt, atque receptæ ab Ill.mis Belgii Epiſcopis, & Univerſit. Lovanienſi

ANnus erat 1567. quando kalendis Octobris emanavit *Conſtitutio Pii V.* Biennio poſt eamdem innovavit, ac confirmavit *Conſtitutio Gregorii XIII.*: utraque proſcribit Errores Michaëlis Baji: utraque publicata eſt in Univerſitate Lovanienſi 16. Novembris Anno 1570., quando, ut habent ejuſdem Univerſitatis Regiſtra fol. 367. & 369., *fuit reſponſio Licentiatorum*,

torum, Bachalaureorum & Studioſorum, omneſque conſonâ voce conclamarunt: Articulos damnamus, Bullam reverenter ſuſcipimus, atque obedientiam pollicemur.

Pii V., & Gregorii XIII. hæc Conſtitutio, quàm volente, ac urgente Catholico Rege, emanaverit, verbis ſuis indicavit Innocentius X., in *Brevi* ad Excell.mum Marchionem de Caſtel Rodrigo Belgii Gubernatorem: *Michaelis Baji improbitatis opinionibus*, inquit, *vehementer commotus, Philippi II., Claræ Memoriæ Regis, animus, eâ æſtuavit ſollicitudine, ac zelo, ut præcipuis ille monitis, ſuo in Urbe Oratori, acriter perſcripſerit, impensè ageret cum Pontificibus prædictis, Pio ac Gregorio, ut eas, abolitas omninò vellent, ac damnatas, eodemque ſtudio tranſmitti in Belgium imperavit Religioſum Virum Franciſcum Toletum, conſecuto mox tempore S. R. Eccl. Card. quo is, ea de re diplomata in Lovanienſi Academia publica fieri ac recipi ſedulò curaret.*

Sic primum, graviſſimo huic malo remedium, non minus ſollicitis precibus, ac ſummo Regis conſenſu, quam

auto-

autoritate Pontificiâ in Catholico Belgio eſt applicatum.

Ad Conſtitutiones Apoſtolicas Pii V. & Gregorii XIII. ſubſecuta eſt Bulla Urbani VIII., quæ incipit *In eminenti*, hac iterum utriuſque Pontificis Conſtitutio confirmatur & approbatur, tum liber cui titulus *Auguſtinus Cornelii Janſenii*, proſcribitur: publicata fuit illa Bulla in Urbe 19. Junii 1643. quando ſtatim eodem Anno, Menſe Decembri, in Univerſitate Lovanienſi, ſeu Doctores, ſeu Profeſſores duodecim, propriâ ſyngraphâ Conſtitutionem illam ſe recipere declararunt. Uno poſt anno ſolummodò, ſupervivere deſiit, Urbanus VIII., mortuus anno 1644., atque ita cum viveret Conſtitutio illa in Belgio ultrà promulgata non eſt: fuit tamen in Hiſpania 12. Februarii 1644.

Anno 1645. 2. Martii Innocentius X. in id laboravit, ut continuò Conſtitutio illa Urbani VIII., in Belgio, executioni mandaretur: egit hoc Literis datis, ad Excell.^mum Belgii Gubernatorem, tum aliis, ad omnes Belgii Epiſcopos, nec non ad utramque Univerſitatem Lovanienſem ac Duacenſem.

Et hæc quidem Univerſitas, cum ſe accuſari intelligeret, quaſi proſcriptis illis Erroribus adhæreret, purgare publicè ſe voluit, ac pro extinguendis illis incendiis, Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, auxilium implorare, & ſuâ utrumque præſtitit Declaratione datâ Duaci 27. Julii 1648., in hæc verba: *Certiores facti, nos, ſcriptis quorundam ex Univerſitate Lovanienſi traductos, quaſi doctrinæ, quæ Janſenio, & Bajo primùm tribuuntur, non tantùm ſubſcripſerimus aliquando, ſed etiam modò pertinaciter adhæreſcamus, ſplendidius mendacium ſingi, nullum poſſe credimus.... contra enim ſenſuimus communibus ſuffragiis, humillimè Suam celſitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam Janſenianam, ſeriò extirpare, quâ nequaquam docetur B. Auguſtini mens: verendum enim magis eſt, ne petulantia ingenia, ſive in Academiis, ſive in Monaſteriis, & alibi incautos, & minus verſatos, in S. Auguſtini voluminibus, hâc perniciosâ doctrinâ imbuant, & ab ejuſmodi verò ſcintillis, magna excitentur incendia, niſi poteſtas Sereniſſimi illa ipſa in ſuis principiis*

piis extinguat. Duaci 27. Julii 1648. Georgius Calvenerius: Franciſcus Sylvius: Valentinus Randouze.

Prius etiam adhæc, Conſtitutionem Urbani VIII., Epiſcopus Antverpienſis ſuâ in Diœceſi denuò publicavit 10. Maii 1646. *Nos Gaſpar Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſc. Antverp. Judicamus eandem iterum in noſtra Diœceſi publicandam, prout præſentibus publicamus.* Tum eodem anno 21. Aprilis, Engelbertus Epiſcopus Namurcenſis, *Receptis literis*, inquit, *Regiæ Majeſtatis de 26. Menſis Martii* 1646. *quibus teſtatum facit, nolle impedimentum adferri, publicationi dictæ Bullæ, denuò intimamus, & mandamus, omnibus noſtræ Diœceſis, dictæ Bullæ, per omnia parere, & obedire.*

Fecerunt interea, aliquorum procul quæſita effugia, & inanes oppoſitiones, ut non eodem tempore, nec unâ formâ Conſtitutio hæc fuerit promulgata, donec Avitæ pietatis, veſtigiis inſiſtens Catholicus Rex Philippus IV., *Edicto* ſuo ultimo Februarii 1651. omnem iterum remoram procul amovit, quâ Summo-

rum Pontificum voluntas atque intentio, impediri posset aut retardari. Est verò Edictum illud ejusmodi: *Philippus Dei Gratiâ Rex Castellæ &c. omnibus literas præsentes inspecturis Salutem:*

Cum Bulla Urbani VIII., data 8. *Martii* 1641., *& publicata Romæ* 19. *Junii* 1643., *quâ prohibentur aliquæ sententiæ, & opiniones Theologorum, speciatimque libri, cujus titulus est,* Augustinus Cornelii Jansenii &c. *jam pridem hùc missa fuisset, ut promulgaretur, omnibusque innotesceret: quod hùc usque, non fuit uniformiter observatum, in omnibus Diœcesibus, propterea, quod Theologi nostræ Universitatis Lovanienſis, aut saltem plerique illorum, huic promulgationi se opposuissent, varias causas prætexentes, tempusque, & moram postulantes, ut suas rationes possent eidem Summo Pontifici Urbano VIII. proponere. Quod cum feciſſent, & Deputati nomine Universitatis diu, multumque tum verbo, tum scriptis, in Congregatione Romanæ, & Universalis Inquisitionis, Summus Pontifex auditâ relatione, iterum statuisset Decreto edito* 16. *Junii* 1644., *ut Bulla supradicta, plenum,*

&

& integrum sortiretur effectum. Cui sententiæ, minus acquiescentes præfati Doctores, Nos adiissent, per Deputatos, ad Curiam nostram Madritum missos: ubi rursus audita fuissent, quæcumque illis placuit proponere, & allegare, nullâque repertâ causâ legitimâ; impediendi, aut protrahendi ulterius promulgationem aut executionem Bullæ supradictæ, misissemus ad Charissimum Consobrinum nostrum Leopoldum Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Gubernatorem Belgii &c. quid super hoc negotio fieri vellemus. Cum denique tum sub idem tempus, qui nunc Sedem Apostolicam tenet, Innocentius X. ejusque Prædecessor Urbanus VIII., institerint, ut Regiam Potestatem nostram interponeremus, quo prædicta Bulla, executioni mandaretur. .... Idcirco postulationi Summi Pontificis satisfacere volentes, & vestigiis Prædecessorum nostrorum insistere, Regiâque autoritate providere incommodis .... quæ ex Bullæ promulgatione oriri possent, injunctâ Archi-Episcopis & Episcopis; Mandato ad omnes justitiæ Administros prius misso, ut autoritati Ecclesiasticæ opem suam, ac ro-

bur adjungerent , ... innovavimus , & per præſentes innovamus , reſpectu quorumcumque , cujuſcumque ſint ſtatûs , dignitatis , & qualitatis , prohibitiones eaſdem cum illis quæ in Bullis continentur. Et ut exactior ſit Mandati noſtri executio , injunximus , & injungimus , omnibus Edicti noſtri tranſgreſſoribus mulctam 500. *Florenorum pro prima vice,& pro ſecunda vice , pœnam exilii in ſexennium ..... Datum Bruxellæ ultimo Februarii* 1651. *& noſtri Regni* 30.

Exiguo poſt temporis intervallo, id eſt , viginti novem poſt diebus, ſeu 29. Martii 1651. prodiit Declaratio *Jacobi* Archiepiſcopi Mechlinienſis , qui promulgationi Bullæ Urbani VIII. hactenus ſuperſedendum eſſe cenſuerat: *Cum verò* , inquit ille , *Sanctiſſimus D. N. dictæ Bullæ promulgationem urgere pergat, & Regia quoque Sua Majeſtas interpellata , ut Suæ Sanctitatis deſiderio ſatisfaciat , datis ad Sereniſſimam Suam Celſitudinem Literis , ab eaque nobis cum ſpeciali Mandato , in hunc finem inſinuatis, quamprimùm promulgandam eſſe decreverit , hinc eſt , quod Nos , Suæ Sanctitati,*

ti, & Regiæ Majeſtati, Sereniſſimæque Celſitudini, humiliter obſequentes, Officii Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis Procuratori, aliiſque, ad quos id pertinet, mandamus, ut dictam Bullam, locis, ac more conſuetis, die primâ Aprilis, à Sereniſſima Suâ Celſitudine deſignatâ, ritè promulgent, &c. Quid verò in hac Declaratione poſt Romæ diſplicuerit, nihil attinet, hìc dicere, & ex aliis inſtrumentis intelligi poteſt.

Ita tandem Conſtitutio Apoſtolica Cornelii Janſenii librum, cui titulus *Auguſtinus* proſcribens, ac damnans, volente atque imperante Rege, totò Belgio promulgata eſt, & qui publicationi ſuperſedendum exiſtimaverant, Mandato Regio adacti ſunt, Pontificiæ autoritati obtemperare, & fixa dies, qua Rex vellet obtemperari.

Eodem anno 1651. octoginta quinque Epiſcopi, Literas à ſe ſubſcriptas mittunt ad Innocentium X. P. M. Iis literis, quinque Propoſitiones notant (quibus quaſi compendio tota Janſenii doctrina contineri videri poſſet) eas orant expendi, & perſpicuam, ac certam de unaquaque ſententiam ferri.

Quo tempore, harum Propoſitionum examen tenuit (tenuit autem biennio, & *eâ diligentiâ*, ut ipſis Literis Pontificiis accepimus, *quâ major deſiderari non poſſet*) rarus, Propoſitiones illas in Janſenio non reperiri cauſatus eſt, ſed id etiam allegatis locis illius aſſeclæ fatebantur, id unum agebatur, eas magni *Janſenii* Propoſitiones eſſe, imò magis *Auguſtini*, ac proindè damnationi obnoxias eſſe non poſſe: longum eſt, neque ex hac re cætera proſequi, de quibus integer liber eſt *Hiſtoire de 5. Propoſitions.*

Elapſum erat hoc biennium, quando pridiè kal. Junii 1653. emanavit Conſtitutio Innocentii X. *Cum occaſione impreſſi libri*: hæc famoſis *Quinque* Janſenii *Propoſitionibus*, notam ſuam ac cenſuram adjungit.

Anno 1654. 23. Aprilis, iterum Janſenii librum cui titulus eſt *Auguſtinus*, Innocentius X. proſcripſit, cum quadraginta & amplius libris in defenſionem Janſenii ferè elaboratis: placuit multis tum illud effugium, quo cauſarentur, eas quinque Propoſitiones in *Janſenio* non

non reperiri, alii majori involucro rem obtegendam esse arbitrabantur, negabantque damnatas esse in eo sensu, qui ad *Jansenium* pertineret. Et hæc ignorantibus infirmisque non paucis offendiculo esse cœpit evasio, ut literis datis 28. Martii 1654. pluribus contigit explanari.

Damnatio 5. Propositionum Jansenii, ubi in Belgium allata est, *Universitas Lovaniensis* (sic legitur in illius Decreto 3. Novembris 1653.) *accepit Constitutionem S. D. N. Innoc. Papæ X. declarantem & definientem quinque articulos in materia Fidei, & omnibus innotescere fecit eandem publicando in solemni Universitatis Congregatione specialiter ad id convocatâ: ipsis kalendis novissimis.*

Ut tamen dictæ Sedi & S. D. N. magis magisque de cultu, veneratione, & zelo Universitatis erga illam, deque prompta & plena præfatæ Constitutionis acceptatione constet, eandem Constitutionem denuò publicari, nec non per affixionem copiarum in locis solitis & opportunis promulgari mandat.

Duobus antè mensibus 2. Septembris

1653. Vicariatus Archiepiſcopatûs Mechlinienſis de illa denuò ſic mandat: *Cum .... miſſum fuerit exemplar Conſtit. S. D. N. Innoc. Papæ X. qua, occaſione impreſſionis libri, cui titulus eſt Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Ipr. Sua Sanctitas definivit 5. propoſitiones in materia Fidei, in eadem Conſtitutione declaratas & expreſſas, idque eo fine ut ejuſmodi Conſtitutionis fieret debita publicatio;*

Nos cupientes, uti tenemur, Apoſtolicis parere mandatis miſſum hujuſmodi exemplar fideliter recudi illiuſque exemplaria ..... deſtinanda mandavimus: verùm cum innotuerit ea non ſatis populo fuiſſe intimata, iteratò, tenore præſentium mandamus, primario hujus Curiæ Metropolitanæ ut exemplaria dictæ Conſtitutionis ad valvas omnium Eccleſiarum hujus Civitatis Mechlinienſis, Lovan. & Bruxell. oppidorum affigat, Archipreshyteris verò ut eandem publicationem indilatè & diligenter perficiant.

Innocentio X. in Pontificatu ſucceſſit Alexander Papa VII. Ad hunc ſtatim 2. Septembris 1656. literæ datæ ſunt,

opem-

opemque præſentem poſtulantes à S. D. adverſus Janſenii ſequacium, fraudes & effugia: Literis illis Alexander VII. ſuâ Conſtitutione reſpondit, quæ incipit *Ad Sacram*, quâ denuò Innoc. X. Conſtitutionem confirmat, & Propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, inuſtâ eâdem ſingulis notâ, inurit & damnat.

Nec minori zelo Fidei puritati in Belgio conſulens Brevi ſuo 23. Decembris 1656. ad Joannem ab Auſtria tunc Belgii Gubernatorem, eum in primis laudat ab *egregia in tuenda Eccleſiæ dignitate conſtantia*; Tum cohortatur vehementer, *Ut pergas*, inquit, *eâ quam tibi iſtic Chariſſimus Filius noſter Philippus Rex Catholicus potentiam tribuit, Dei gloriæ inſervire.* Aliud paulò poſt in eandem ſententiam prodiit Decretum Alexandri VII. quo & omnes libros prohibet ac damnat, quibus præſcripta *Janſenii* doctrina aut defenditur, aut defendetur.

Quam verò in Belgio hæc promulgari, obſervarique voluerit Piiſſimus ac Clementiſſimus Rex Catholicus Philippus IV., poſt acceptas ab eo literas,

quas

quas ſcis apud me eſſe, ſuis ipſis literis copioſiſſimè oſtendit Excell.mus Marchio de Caraçena Belgii Proguber-nator &c.

Haviendo viſto (verba ſunt Excellentiſſimi Marchionis ad Flandriæ Concil. Provinciale) *y eſaminado ſeriamente por ſu Mageſtad lo que aveis repreſentado por vueſtro parecer ſobre la publication de la Bulla de Su Santidad tocante a la prohibition de algunas cartas, tratados y eſcritos concernientes a las cinco proposiciones condenadas de la doctrina del Obiſpo Janſenius, Os diremos, que la intencion de dicha Mageſtad ſegun lo que eſpreſa-*

Viſis, ac per Suam Majeſtatem ſeriò examinatis, quæ ex opinione veſtra exhibuiſtis, de publicatione Conſtitutionis Suæ Sanctitatis, quâ prohibentur, non nulla folia, tractatus, & ſcripta, ſpectantia ad quinque Propoſitiones damnatas ex doctrina Epiſcopi Janſenii, ſignificamus, intentionem Suæ Majeſtatis, non eſſe ut Ipſa expreſſis verbis ſuis ad nos ſcripſit, ut velit ad publicationem Conſtitut. Dogmaticarum *à Sua Sanctitate emanatarum,*

mente

mente nos ha escrito, no es de pretender que para la publication de las Bullas dogmaticas emanadas de Su dicha Santidad, sea necessario obtiner cartas de placet, y assi viendose bastamente que la dicha Bulla es de naturaleza y calidad dogmatica, os ordenamos en nombre y de parte de Su dicha Magestad, que no movais, ni pongais dificultad alguna, a la publication de aquella Bulla ni otros que pudieren offrecerse de la misma naturaleza.

necessarium esse, literas Placiti *obtinere. Quare cum sufficienter appareat, dictam Constitutionem* Dogmaticam *esse, Ordinamus nomine, & ex parte Suæ Majestatis, ne moveatis, aut interponatis difficultatem quamcumque, adversus* Publicationem *illius* Constitutionis, *aut aliarum, quæ ejusdem naturæ se possent offerre.*

Fecerunt hæc omnia Superiorum Imperia, ut qui obtemperare detrectarent, ad novos sinus latebrasque confugerint. Indè de aliis præterea remediis ad Alexandrum

andrum VII. tranſmiſſæ ſunt litteræ 20. Febr. 1661., ad illas data reſponſio eſt 16. Maii, variaque adhibita, quibus utriuſque Summi Pontificis Innoc. X. Alexandri VII. Conſtitutio, ut par erat obſervaretur.

Tandem Anno 1665. 15. Febr. editâ Conſtitutione, *Formulam*, quâ Fidei puritati conſuleret, idem Pontifex, propoſuit, ut illius ſincerâ ſubſcriptione, ſuam quiſque, fidem, ex recepto in Eccleſia more probare poſſet, & minus anxios reddere, qui integritati, ac Fidei veritati invigilant, ſuperiores.

Formula illa his verbis expreſſa eſt: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innoc. X. datæ die* 31. *Maii* 1653. *& Conſtitutioni Alexand. VII. datæ* 16. *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum me ſubjicio, & V. propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro cui nomen* Auguſtinus *excerptas, & in ſenſu ab eodem Autore intento, pro ut illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno; & ita juro ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Eamdem Formulam confirmavit, eique ſub-

ſubſcribi voluit Alexandri VII. in Pontificatu Succeſſor Clemens IX. qui ut ſcribit Brevi ſuo 19. Januarii 1669. *Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes nullam circa Formularium exceptionem aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus.* Nec ante quatuor illi Nominatiſſimi in Gallia Epiſcopi ab eo, obedientes habiti fuerunt, aut ante in gratiam admiſſi, quàm ſignificaſſent, ut habet eodem Brevi, ſe *juxta præſcriptum Literarum Apoſtolicarum à felicis recordationis Prædeceſſoribus noſtris Innocentio X. & Alexandro VII. emanatarum ſincerè ſubſcripſiſſe, & ſubſcribi feciſſe Formulario in ejuſdem Alexandri VII. Literis edito.*

Nec minus illius ſubſcriptionem urſit Innoc. XII. Brevi ſuo ad Archiepiſcopum & Epiſcopos Belgii 6. Februarii 1694. *Fraternitatibus*, inquit, *veſtris injungendum eſſe duximus, prout per præſentes injungimus, ut pro veſtra pietate, & prudentia, & facultate illa, quâ per Conſtitutionem Apoſtolicam muniti eſtis, ita Formularii ſubſcriptionem ſeu juramentum ad praxim reducatis, ut in exigendo ju-*

juramento prædicto zelus & charitas vestra quàm maximè eluceat.

Eodem anno 24. Novembr. Brevi suo ad eosdem Episcopos in hunc modum prosequitur: *Non sine admiratione intelleximus nonnullos in istis Diœcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare supradicto nostro Brevi, alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. Octobris 1656. nec non Formularium ab ipsomet pronuntiatum, cum dicto Brevi, utrumque specificè confirmetur, & omninò intenderimus & intendamus iisdem adhærere.*

Sanctissimo Domino, Episcopi Belgii, quâ par est promptitudine, ac filiali observantiâ, obsequi volentes, iterum post accepta hæc Brevia, singulis, hoc Alexandri VII. Formulare, innotescere curarunt, illiusque subscriptionem exegerunt, quâ par est zelo ac charitate.

Et hæc quidem, quàm Regi Catholico grata acciderint, quàm ipse pro sua pietate institerit, ut noxia, damnataque à Summis Pontificibus doctrina procul Belgio exularet, summo argumento sunt Sereniſſimi utriusque Bavariæ Ducis ac

Belgii

Belgii Gubernatoris Anno 1695. datæ Literæ 7. Novembris, ad ſingulos Belgii Catholici Epiſcopos, quibus cum illis Decreta Regia communicat: tum in iis quæ ſunt ad Magiſtratum Lovanienſem ita ſcrbit: *Cum juxta repetita Regis Mandata, conveniat, ut deinceps excludantur quicumque deprehenſi fuerint ſequi doctrinam Janſenii, vel de Rigoriſmo, vel de novitatibus ſuſpecti habebuntur, quemadmodum & iis adhærentes, & eorum protectores ..... præſentes ad vos dirigimus, ut vobis mandemus, & interdicamus, quemadmodum autoritate & juſſu Regis ſeriò interdicimus, ne ulli qui ejuſmodi doctrinæ adhæret, aut de adhæſione ſuſpectus eſt, conferatis ullum Regentis, aut Præſidis Officium, ullam Lectionem, ullum Beneficium, aut ſi ſecus fiat, irrita, & nulla erit collatio.* Similia ſunt in eandem ſententiam ad Senatum Brabantiæ. Quibus omnibus ſuæ Catholicæ Majeſtati expoſitis, ipſa ſenſum ſuum, his verbis voluit aperire, Madriti 1. Martii 1696. in Literis ad Sereniſſimum Bavariæ Ducem &c. *J'ay bien voulu par cette vous en témoigner ma gratitude,*

titude , & vous assurer de la particuliere satisfaction , que j'ay de ce qu'en ce regard vous avez disposé.

Sed ut ad ipsum Formularium propius accedamus : iterato Decreto suo Episcopi Belgii , Bruxellis in Congregatione sua 22. Aprilis 1697. Formularii subscriptionem injunxerant ; Subscriptis singulis nominibus suis Humb. Guiliel. Archiep. Mechl. Fr. Reginal. Ep. Rurem. Ferdinandus Antv. Guiliel. Brug. Phil. Erardus Gand. Episcopi: & Martinus Steyaert Diœc. Sylvæd. Vic. Generalis Apostolicus.

Quæ Episcoporum omnium Belgii erga Sanctam Sedem observantia , & erga Gregem sibi commissum vigilantia, quam rursus sit ex pia Catholici Regis voluntate , ipse Rex literis suis significavit 10. Junii 1697. in hæc verba: *Nous vous faisons cette à la deliberation de nostre Gouverneur General pour vous dire que nous avons pour agreable la resolution par vous prise , pour l'execution du Brevet de Sa Sainteté du 24. de Nov. dernier relatif à celuy du 6. Fevrier 1694. & nous appuierons de nostre protection*

Royale

Royale l'execution du Decret. Idem Majeſtas Sua Catholica confirmavit 22. Martii 1700. *Comme par nôtre Royale Depeſche donnée à Madrid le 11. de Fevrier dernier, nous avons ordonné .... de notifier aux Eveſques .... que nôtre Royale volonté eſt, que le Bref de Sa Sainteté du 24. de Novembre 1696. ſoit punctuelement obſervé, nous vous faiſons cette .... afin que vous ayez à vous y conformer &c.* Eadem denuò repetita ſunt datis 29. Martii 1700. & ſubſcriptis *M. Emanuël.*

Ultima tandem in hanc rem, eaque toti orbi Catholico optatiſſima Conſtitutio Clementis Papæ XI. *Vineam Domini Sabaoth*: emanavit, 17. Kal. Auguſti 1705. Ipſa iterum priores Innoc. X. & Alexandri VII. Conſtitutiones confirmat, iiſdemque ſemper inhæſiſſe Clementem IX., & Innocentium XII. Tum denique latam à Prædeceſſoribus ſuis Legem pergit declarare: *Damnatum in V. præfatis propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ab omnibus Chriſti Fidelibus, ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici*

ac damnari debere, nec alia mente animo, aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe. Declarat inſuper, *Obedientiæ, quæ præinſertis* Innoc. X & Alex. VII. *Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri.* Hæc totâ Hiſpaniâ receptiſſima, gratiſſimaque Conſtitutio eſt. Ipſam in Belgio Concilium Regium voluit liberè executioni Demandari, eam ſuis in Diœceſibus promulgarunt Illuſtriſſimi Epiſcopi: tum iis inſiſtens Alma Univerſitas Lovanienſis, *Omnibus*, inquit, *teſtatum facimus .... nec quempiam deinceps ad ullum gradum in noſtra Schola admiſſuros, qui Alexandri VII. Formulario juxta Declarationes hujus Clementinæ Conſtitutionis non ſubſcripſerit. Datum in Congregatione noſtra* 16. *Octobris* 1705. Atque hoc alterum eſt quod propoſueram, *Conſtitutiones Apoſtolicas, quibus errores Mich. Baji, ac Corn. Janſenii Ep. Ipr. proſcripti ſunt, & quibus Alex. VII. Formularu ſubſcriptio exigitur, omnes volente atque urgente Cath Rege in Belgio promulgatas eſſe atque receptas ab Ill.mis Belgii Epiſcopis & Univerſ. Lovanienſi.*

§. 3.

§. 3.

Ad veritatem & puritatem Fidei in Belgio conſervandam, medium in primis utile, ac unicè neceſſarium eſſe prædictarum Conſtitutionum Apoſtolicarum conſtantem obſervationem & executionem.

EO tendunt Conſtitutiones illæ Apoſtolicæ, ut hæreſis Janſeniana, toties jam damnata, tandem penitus extirpetur: ut hunc finem obtineant, ut hanc hæreſim eliminent, exigitur, & autoritate Pontificiâ mandatur, Formularii ſincera ſubſcriptio. *Ad comprimendum tam grave malum*, inquit Innoc. XII., *quod jam diu Eccleſiam Catholicam vexat, efficacius remedium adhiberi non poſſe videtur.* Sanè contra Novatores, ſuſpectæque fidei homines, nullum Eccleſia Dei habuit uſitatius, nullum experta eſt utilius.

Jam indè à naſcentis ferè Eccleſiæ origine propoſita *Formula* fuit, quâ Fideles Fidem ſuam profiterentur: exortâ hæreſi Arianâ, alia *Formula* edita eſt in Concilio Nycæno, quâ explicatiùs adverſus Arianos articuli quidam Fidei exponuntur: ipſe Juſtinianus de aſſenſu Epiſcoporum, quorumdam ſingularem profeſſionem edidit in *L. Reddente*, C. de *Summâ Trinitate*, & quam ibidem confirmat Joannes Papa L. *Inter claras : cui confeſſioni ac fidei* inquit, *Quiſquis contradictor exſtiterit, alienum ſe ipſe à Sancta Communione, alienum ab Eccleſia judicabit eſſe Catholica.* Sic & Innoc. III. in Concilio Lateranenſi profeſſionem Fidei propoſuit. C. 182. de *Summ. Trinit.* Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi. Clemens V. in Concilio Viennenſi. Titulo *Eod. in Clem.* Eugenius IV. in Concilio Florentino ſuper Græcis, Armenis, & Jacobitis ſe S. R. Eccleſiæ unientibus.

Tum prōpius ad hanc rem, rectè autor Juris Pontificii novi, in Reſponſis de Jure Canonico, *ſecundùm temporum neceſſitatem, ſi quæ novæ hydræ emerſe-*

rant.

rant, diverſæ confeſſiones, hæreſum naſcentium Reprobatoriæ in diverſis Conciliis fuerunt propoſitæ : talis confeſſio occurrit apud Euſebium Mediolanenſem in Epiſtola ad Leonem, quâ tum ipſi, tum alii Epiſt. 19. eam ſic exprimunt: *In omnia ſupradicta conſenſi, & ſubſcripſi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ Sacramento impia ſenſerunt.* Talis ubique obvia eſt apud Labbeum, Coſſartium, Chriſtianum Lupum, alioſque: ex hoc uſu Eccleſiæ, monet Januarium Epiſcopum Aquileenſem, Leo Papa Epiſt. 86. ut, accuſati, omnia Decreta Synodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos (Pelagianæ) Apoſtolicæ Sedis confirmavit autoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, *plenis, & apertis, ac propriâ manu ſcriptis proteſtationibus eloquantur.* Honorius Imperator Epiſt. ad Aurelium Carthaginenſem ita decernit: *Religio tua, competentibus ſcriptis univerſos faciat admoneri ſcituros definitione teſtimonii tui, hanc ſibi definitionem eſſe præſcriptam, ut quicumque damnationi ſupra memoratorum,* quo pateat mens pura, *ſubſcribere, impiâ obſti-*

natione neglexerint, Episcopatûs amissione mulctati interdictâ in perpetuum Communione &c.

Sed neque hoc satis habitum est, ut quasi universim, impiæ doctrinæ, anathemati subscriberent, nisi illam etiam anathematisarent, prout erat ab eorum autoribus tradita, eosque pari anathemate & apertè, dignos ipsi profiterentur. Epist. 86. Damnent, inquit S. Leo, *damnent apertis professionibus sui superbi erroris Autores.* Epist. 126. Atticus Presbyter si correctum videri se cupit, *apertè, & nihil Eutychiani dogmatis prætermittat, quod non manifestatione suæ professionis, Christiano populo audiente condemnet*: Epist. 128. si conscientiam suam voluisset probare sinceram, *non Eutychem sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret, atque damnaret, debuerat confiteri .... ut ab omni suspicione contrariâ liber appareat, quid in Eutyche anathematizet ac damnet, evidenter ostendat, & in damnationem erroris expressi, remotâ omni dubitatione subscribat.* In Concilio Chalcedonensi Act. 8. *Residentibus omnibus antè Cancellos Sanctissi-*

ctißimi Altaris, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, Theodoretus modò Anathematizet Neſtorium: *Theodoretus tranſiens in medium dixit, & preces obtuli & libellos .... & ſi vobis videtur* legantur *coram vobis, ut* ſicut ſapio, *cognoſcatis: Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, nihil* relegi *volumus, modò* Anathematiza Neſtorium: *Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit, ego per Dei gratiam ab Orthodoxis ſum nutritus, &* Orthodoxè ſum edoctus, & Orthodoxè prædicavi, *& non ſolùm Neſtorium & Eutychem, ſed & omnem hominem, qui rectè non ſapit, averſor, & alienum exiſtimo. Et cum diceret hæc Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*, Clarè dic, Anathema Neſtorio, & dogmatibus ejus, *Anathema Neſtorio, & amantibus eum. Theodoretus dixit, verè non dico, niſi quomodo novi Deo placere.* Priùs *ſatisfacio vobis....* Calumniam paſſus ſum, *veni ſatisfacere me eſſe Orthodoxum .... & cum diceret, Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, dic apertè, Anathema Neſtorio,* & qui ea, quæ ejus ſunt ſapiunt. *Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit:*

ego niſi expoſuero quomodo credo, non dico: credo autem: Et cum diceret, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*, iſte *hæreticus eſt*, iſte Neſtorianus eſt, *hæreticum foras mitte*. Sic nec Hormiſda Papa in communionem recipere voluit Epiſcopos, niſi prius Dioſcorum, niſi Eutychen erroris Autores condemnarent: in Synodo octava, act. 8. non tantùm *Omnibus*, quaſi univerſim *Hæreticis Anathema*, aut *iis qui recipiunt impias hæreſeos ipſorum ratiunculas anathema*, ſed & ſingulariter *Anaſtaſio*, *Conſtantino*, *& Nycetæ ut Epiſcopis inſacratis Anathema. Theodoro*, *Antonio*, *& Joanni, qui ſibi invicem malorum omnium extiterunt conciliatores Anathema: Theodoro qui cum ſine ratione conſiſtat, loqui ſe rationabiliter fingit*, *Anathema*. Mitto cætera adducere quæ ex Eccleſiaſticis monumentis & nota ſunt, & aperta.

Quamquàm, nec hìc ſtetit puritati Fidei invigilans Eccleſia: illud præterea pro temporum neceſſitate urſit conſtanter, ut damnata hæreſis, à damnatis autoribus tradita eſſe agnoſceretur. Evincunt hoc jam anté relata, nec hujus rei

alia

alia deſunt teſtimonia : de Euſebio Nicomedienſi , de Theogni Nicæno ſcribit Socrates, Hiſt. l. 1. c. 10. quod damnarent errores Ario attributos (ſic nemo hodie paratus non eſt errores damnare Janſenio attributos) ſed Anathema Ario dicere nollent (ut nunc nolunt illius aſſeclæ dicere Janſenio) *quod minimè crederent*, inquit Hiſtoricus, *eum qui erat accuſatus , hominem ejus generis fuiſſe qui errores , doceret* , ob hoc unum , *à Synodo pro hæreticis habitos , & exilio mulctatos:* Euſebius , & alii ſectatores Arii, inquit Nicephorus , *cum Anathema contra Arium non probarent , eo quod certos eſſe ſe dicerent, ipſum hæreſim Fidei adverſam non docuiſſe*, ideo, hæreticorum infamiâ ſemper *laborarunt*. Enimverò apertiſſimis verbis in Concilio Conſtantienſi Martinus V. per expreſſam Bullam exigendum præſcripſit , *utrum credat, teneat , aſſerat Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Hus de Bohemia , & Hieronymum de Praga , hæreticos , & libros ac doctrinas eorum fuiſſe & eſſe perverſos.* Quâ ratione , & nunc Clemens XI. exigendum eſſe declarat , *Ut quis prædicti*

Janſe-

Janſeniani libri ſenſum in antè dictis V. propoſitionibus, ut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet. Quæ quidem omnia, quomodo à ſubſcribentibus fieri oporteat, docuit nos antè Epiſt. ſuâ 86. S. Leo: *Nihil*, inquit, *in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum, quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, quâ ſe à damnatorum ſocietate diſcreverint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment non ſalvum.* Habes uſum, intelligis omnibus Chriſti Fidelibus, quàm ex vero à Clemente XI. fuerit enarratum: *Subindè verò quo omnis Apoſtolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædeceſſor*, priſcum Eccleſiæ morem *ſecutus, certam edidit formulam, ab omnibus Eccleſiaſtici Ordinis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus perſonis ſubſcribendam.*

Singulare nihilominus occurrit in hoc negotio, ſtudium Sectæ, tum ne apertiſſima negare videri debeat, tum ne ex uſu illo, quiſquam in patronos ſuos poſſit animadvertere. Lege

quæ

quæ illi collegerunt effugia, ſub titulis : *Apologie de Port-Royal : Defence des Theologiens contre l'Ordonnance de Mr. de Chartres*, aliiſque : *L'Egliſe*, inquiunt, *eſt en droict de demander la ſignature des faits, qui regardent le ſens des auteurs, ou des livres qu'elle condamne : on n'a garde de nier une choſe auſſi claire, & auſſi indubitable. Nous ne doutons point*, ſic repetunt alibi, *que l'Egliſe n'ait reçu de Jeſus Chriſt, l'autorité de condamner, non ſeulement des hereſies, mais même les auteurs, & leurs textes : la choſe eſt claire par l'uſage perpetuel de tous les ſiecles.*

Vide poſt hæc quænam comminiſcantur : triplicem quaſi hominum claſſem conſtituunt : in prima eos collocant, qui damnatos autores non defendunt, niſi quia in eadem cum illis ſunt damnatione : ſecundam illi occupant, qui malâ fide autores illos propugnant, quos tametſi reos eſſe exiſtiment, ſuâ tamen malitiâ deſerere aut damnare non volunt : & hi quidem ſoli ſunt, à quibus exigi poſſe volunt, ut damnationi Autorum, eorumque librorum & ſenſuum ſub-

ſubſcribant : indè alia , & tertia claſſis eſt , illorum , qui à damnatis erroribus alieni , dubitant, ſed ex optimâ fide, an damnata doctrina alicui autori adjudicanda ſit, & eo ſenſu , qui eſt heterodoxus ; in hâc claſſe ſeipſos conſtituunt : ab his negant, ejuſmodi damnationi ſubſcriptionem exigi poſſe : *On ne produira jamais aucun exemple*, ut pergunt illi aſſerere, *qui prouve que l'on ait demandé la croiance des faits douteux, à ceux qui en doutoient de bonne foi, & on en produira encor moins, qui montre qu'on ait exigé de qui que ce ſoit d'atteſter par ſerment la croiance de ces ſortes de faits.*

Nihil quidem effugio hoc imbecillius apud Eruditos, quibus hæc perſpicua ſunt, quæ illi inveniri non poſſe ſcribunt tam confidenter , quàm falsò : verùm palpari res etiam poteſt : in manibus eſt *Fidei Chriſtianæ profeſſio* juxta Conſtitutionem Pii Papæ IV., hac ita proponitur : *Item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Synodo Tridentina tradita , definita , & declarata , indubitanter recipio atque profiteor .... ita ſpondeo, voveo,*

& juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia: Omnia ſic declarata, *Omnes* juxta hanc Conſtitutionem, & *Indubitanter* ſe recipere, jurare jubentur: dicentne illi inter ea *Omnia*, nihil occurrere, quod quiſque pari cum illis jure *Factum* non poſſit appellare, & *Dubium?* Nullos eſſe inter eos *Omnes* qui & ſe ab omni errore alienos affirmare poſſint, & dubitare quidem, ſed ex optima fide? An fortè volent nullum de iis hìc exigi juramentum, quando vix aliud exigi poteſt ſolemnius? Res certè in hunc locum adducta eſt, ut aut inverecundè eos reponere oporteat, in ſola *Hæreſi Janſeniana* occurrere *Facta diſputata*, ſolos *Janſenii* aſſeclas homines eſſe fidei orthodoxæ, & non niſi ex ſummis motivis hæſitantes, ac propterea in hac hæreſi ſingulare eſſe, ut nemo Janſeniani libri ſenſum hæreticum eſſe jurare debeat; Aut, quod res eſt, contra ac ſentiunt, fateri cogantur, omnibus retro temporibus, & ipſâ Pii IV. Conſtitutione, præſcriptum eſſe, ut etiam ejuſmodi perperàm appellata *Facta diſputata*, omnes requiſiti, ſolemni ſacramento rejiciant, ac deteſtentur.

Supereſt utilitas, niſi jam ſpontè eaque uberrima ſe offerat : ſi Conſtitutionem Apoſtolicam attendis, ſubſcriptio formulæ, *omnibus illuſionibus aditum intercludit.* Si ad Honorium Imperatorem redimus, ſubſcriptio Formulæ, *medium eſt, quo pateat mens pura*, quorum altero, quid me utilius dicere oporteat non video, ita utrumque eſt utiliſſimum : ab ea verò ſubſcriptione, tantam utilitatem emanaſſe, teſtis omnibus eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica : ipſa Fideles inter diſtinxit & Hæreticos, ipſa hæreticam pravitatem detexit, & Sacroſanctam Fidem, puram ſervavit & integram: Neſtorii condemnationi ubi ſincera facta ſubſcriptio eſt, *patuit mens pura*, pax rediit Eccleſiæ, pax inter S. Cyrillum, & Joannem Patriarcham Antiochenum cum ſuis Orientalibus reſtituta eſt: fecit ſubſcriptio illa, ut utrimque illi gratulatoriæ Epiſtolæ argumentum eſſet, cui, quaſi omni lætitiæ reſtitutus his verbis initium fecit. *Lætentur Cœli*: In Conc. Chalcedon. *Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit Anathema Neſtorio, & ei qui non dicit Dei Genitricem Virgi-*

Virginem Mariam, & qui in duos Filios partitur unum Filium unigenitum: ego autem & Fidei definitioni ſubſcripſi ... & ſic ſapio. Et patuit mens pura: *Glorioſiſſimi Judices dixerunt, omnis jam dubitatio de Theodoreto Reverendiſſimo Epiſcopo eſt ſoluta, quippè & Neſtorium coram nobis anathematizavit, & definitionem Fidei ... libenter ſuſcepit, & inſuper Epiſtolæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis ſubſcripſit .... Populus Orthodoxum recipiat dignum ſuâ Sede, Theodoreto Catholico Doctori reddatur Eccleſia.* In Synodo 8. act. 8. intromiſſi ſunt Nicetas Clericus, Theophilus Sæcularis, & Theophanes Tabellio: reſponderunt illi: *Decepti ſumus antea malitioſis ſermonibus, impiorum hominum & malè ſapiebamus: & ſurgens unuſquiſque*, addunt Acta Synodalia, *ſingulatim ſuper tribunal excelſum anathematizavit hæreſim Iconomachorum, & primores ejus Patriarchas Theodorum videlicet, Antonium, Joannem, & Theodorum Crithinum*: & denuò patuit mens pura, *Advocans quippè*, ut eadem Acta proſequuntur, *Baſilius Imperator unumquemque ipſorum, oſcu-*

oſculatus eſt , & dixit , nuuc ereptieſtis à diabolicâ poſſeſſione & facti Chriſtiani veriſſimi. Sed nimis multa apud te memoro , & copioſiori teſtimonio hæc omnia confirmat S. Leo Epiſt. 85. ad Septimium Epiſcopum , quàm ut exempla ultra deſideres : *Saluberrimum eſt, & ſpiritalis medicinæ pleniſſimum , ut ſive Presbyteri ſive Diaconi , vel cujuſlibet Ordinis Clerici , qui ſe correctos videri volunt* , Errorem ſuum & ipſos erroris autores *damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur , ut ſenſibus pravis & dudum peremptis , nulla ſperandi ſuperſit occaſio , nec ullum membrum Eccleſiæ talium poſſit ſocietate violari , cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare.*

Et ſanè contra ingruentes hæreſes nullum ejuſmodi profeſſione medium utilius adhiberi poſſe , jam olim mandato ſuo indicavit Alma Univerſitas Lovanienſis : Annus erat 1579. id eſt ſextus antè natum Cornelium Janſenium , quo tempore , quemadmodum ingens Religionis fuit præſidium , ita nec vivo Janſenio , mortuoque , Catholicæ Fidei propugnatores habuit magis ſtrenuos , quàm

quibus

quibus nihil esset cum damnata doctrina commune, tum eo anno 28. Novembris in ordinaria Universitatis Congregatione sic mandat :

Alma Universitas Studii generalis Oppidi Lovaniensis, pernicioſis ac ſubdolis peſſimorum hominum ſtudiis, qui in Academias non tam ſtudiorum, quàm explorandæ Chriſtianæ libertatis gratia, latenter irrepentes, & Catholicorum ſe gregi inſinuantes, incautos plurimùm inficiunt, occurrere volens, ut illibata atque integra ab omnibus ſervetur Catholica Romana Religio, neque quiſquam in his quæ ad fidem hominis verè Chriſtiani pertinent, ignorantiam ullam pretendere poſſet, ſtatuit, ut .... fidei juramentum juxta Decretum Pii Papæ IV. praſtetur. Actum Lovanii Menſis Novembris die 28. anni 1579.

Huic Universitatis Statuto, subnectitur Fidei Christianæ professio juxta Constitutionem Bullæ Pii Papæ IV. & infra, inter apposita juramenta Intitulandorum, ex libro Statutorum Universitatis Lovaniensis, quarto loco sic ponitur : *Juro quod ex animo deteſtor omnia dogmata Martini Lutheri, & alio-*

 rum

rum quorumlibet hæreticorum, quatenus doctrinis veteris & Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ adversantur. Quodque velim sequi & retinere fidem veterem Ecclesiæ præfatæ, sub obedientia unius Summi Pastoris Romani Pontificis juxta tenorem Bullæ Pii IV., quam verbatim in præsenti profiteor & juro, ejusque copiam me servaturum promitto. Quodque ab antiquo Universitas Lovanienſis experta est esse maximè opportunum, idem nunc pro temporis necessitate, post Ordinationes Episcoporum ipsa remedium pergit adhibere, quando ut est supra, omnibus testatum facit, *nec quempiam ibidem ad ullum gradum esse admittendum, qui Alexandri VII. Formulario juxta Declarationes Clementinæ Constitutionis non subscripserit.*

Sed dixi etiam unicè necessarium esse: nempè in Belgio tale habitum est, & usu compertum, cum hæresis erat extirpanda, seu *Lutherana*, seu *Anabaptistarum*, magis proinde & nunc necessarium erit existimandum, quando eradicanda est hæresis *Janseniana*, tantò cæteris pernicioſior.

Hæresi

Hæreſi, graviſſimo malo, ut Belgium liberarent, omnem curam ac induſtriam adhibuerunt Piiſſimi Reges ac Principes, hanc indicant tot illa *Edicta*, apud Juriſperitos, tit. de *Summa Trinitate*, tit. *De Hæreticis* &c. iis proponitur inhibitio librorum: mandatur, ut contra Hæreticos procedatur tamquam reos Majeſtatis, ut bona confiſcentur: contra ſuſpectos inquiratur, libri comburantur: ſine cenſura nulli imprimantur, ut rei Majeſtatis Impreſſores puniantur, aliaque quæ habes in *Edictis* ad Typographos, & Ludi Magiſtros, quibus omnibus adlaboratum eſt, ne quâ parte hoc malum irreperet.

Poſtquam verò Conc. Trid. damnaverat hæreſes, quas Patrum noſtrorum ætas invexerat, Pius IV. Conſtitutione, quæ incipit *Injunctum*, Idibus Novembris 1564. copioſam *Formulam* profitendæ Fidei præſcripſit, quæ ubique gentium ſervaretur: medium hoc quam eſt in primis utile, tam unicè neceſſarium eſſe judicavit Synodus Provincialis Cameracenſis 1. Junii 1587. & Mechlinienſis ultima Auguſti 1608. & his

quoque citius Universitas 28. Novembris 1579., habes utriusque Synodi illius Decreta seperatim edita, & recitata vol. 2. Edictorum lib. 1. Rubr. 2.: tam æqui judicii, Philippus II., Albertus & Isabella executionem benignè promoverunt, & quod ad Fidem Catholicam attinet, Decreta earumdem Synodorum suis sanctionibus juverunt, maximè verò *Edicto* ad Synodum Cameracensem, ubi art. 1. 2. 3. statuit, ut Magistratus, personæque publicæ faciant Professionem Fidei juxta formam præscriptam, eamque quotannis renovent. *Premierement, que tous ceux qui doresnavant seront mis en Magistrat & Loy... ensemble tous les Officiers publicqz... seront tenuz faire profession de Foy, en la forme qui s'ensuit.*

Je N. jure par le Dieu Tout-puissant, & sur la damnation de mon ame, que je croy tout ce que croit l'Eglise Catholicque Apostolicque & Romaine, & que je tiens la doctrine qu'elle a tenu, & tient soubs l'obeïssance de N. S. P. le Pape, detestant toutes doctrines contraires à icelle, si comme des Lutheriens, des Calvinistes,

& Anabaptiſtes, & de tous autres heretiques & ſectaires, & qu'autant qu'en moy ſera, je m'oppoſeray & contrarieray à icelles, ainſi m'aide Dieu, & tous ſes Saints. Ad Mechlin. art. 1. 2. & Cameracenſem ar. 4. ſtatutum eſt, ut *Ludi-Magiſtri*, *Librarii* &c. admittantur juxta *Formulam* Pii IV.

Fuit hoc judicium utriuſque poteſtatis, cum eliminanda fuit hæreſis Lutherana, idem omnes de neceſſitate exiſtimarunt, Pontifex, Epiſcopi, Rex, Principes, Univerſitas,

Nunc cum hæreſi Janſeniana res eſt, & magis cæteris pertimeſcenda, neque enim vix morbus periculoſior habetur, quam, cum, qui eo maximè laborant, ſanos ſe, atque integros eſſe arbitrantur, malumque iracundi rident, quo pereunt: accidit hoc autem in primis in ea ſecta: hujus *temeritas atque audacia ad totius Eccleſiæ periculum pertinere*, jam à prima ſua quaſi origine viſa eſt Gregorio XIII. Illius adhærentes *filii iniquitatis ſunt* Alexandro VII. *Publicæ tranquillitatis perturbatores*, illi *promptum remedium cenſuit*, *non eſſe differendum*,

dum, ne morbus ille latius divagetur: tentatur Innocentium X, *Janſenianam hæreſim radicitùs evellere conatum fuiſſe*, ferè etiam ab eo *oppreſſam*, ſed *adinſtar colubri tortuoſi in varios gyros & cavillationum defluxus abire*: Innoc. XII. *grave malum eſſe* ſcripſit *quod tam diu Catholicam Eccleſiam vexat.* Clemens XI. homines eſſe, *qui in id nati eſſe videntur, ut Eccleſiæ, ac Reipublicæ pacem turbare non ceſſent.* Tum malum quo laborant *exitialis* ei *morbus* eſſe dicitur, *qui ut cancer ſerpit, & quotidie in deterius vergit*, denique ut verbo omnia intelligas, *Peſſima hæreſis.*

Solliciti Epiſcopi pro laborante grege remedia poſtulant, adhibent obtenta, Reges inſtant, & dexteram porrigunt auxiliatricem: at illi, & doctrinâ ſanos, & pietate integros, ſe miſeri jactant, mediciſque malè indignantur: cumque ad hæreſim, ad morbum ſuum reſpiciunt, ſecus ac damnat Eccleſia Catholica, *Phantaſma eſt* inquiunt & inane ſpectrum, *la marotte des Jeſuittes & la fable du monde*: ne hic illi, cœcum habent in Evangelio quem imitentur

tur orantem *Domine ut videam*, ut videant, quod qui morbo illo liberi sunt omnes intelligunt, caventque ne vel sic foveatur vera hæresis, quæ deridetur ut fictitia, donec ita excreverit, ut Ecclesiæ impunè insultet.

Periculum auget iracundæ ignorantiæ comes phrenesis, in hanc enim inducit quàm sæpissimè: hinc disperatissimæ illæ voces, *Ecclesia Dei valdè malè regitur hoc tempore*: nihil Bullâ *Pii V. magis ruinosum*, *Bulla Urbani VIII. quæ incipit* In eminenti *est certò subreptitia: quod Innocentius X. fuerit deceptus ad oculum demonstratur. Quod Alexander VII. fuerit deceptus constat: on dit positivement que les Papes Innocent X. & Alexandre VII. se sont trompez*, quibus ut Summos Pontifices insani petunt, ita nunc Episcopos, nunc Universitates, nunc Religiosos Ordines verbis ut possunt, feriunt, lacerantque, Jesuitas in primis, quos ubi fortè phantasia suggerit, eos contra quasi ad insaniam debacchantur: nec minor furor est, si Regiæ potestatis cogitatio inciderit, tum enim injusta clamant Decreta

creta Regia, ſibi clauſa tribunalia, ignorantes Judices, corruptos Miniſtros, ubique injuſtitia! ubique oppreſſio! & quæ quiſque deſperandus evomit, cum fortè ei lis abjudicata eſt, cujus vix aliud fortius erat fundamentum, quam contra inſtandi prurigo.

Ab hoc tanto furore, tametſi fortè remiſerit, atque etiam reſideat, ad pertinaciam ſeu gradus eſt ſeu deſcenſus: pergit dictare læſa mens, non juſta mandari, flecti nequit voluntas obfirmata: poteſtas tum Eccleſiaſtica tum Sæcularis, nihil non adhibuit, ut peſtem hanc evelleret ac eradicaret, & *Neque adhuc deſunt homines*, ut monet Clemens XI. & nosipſi experimur, *veritati non acquieſcentes & numquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Eccleſiam ipſam turbare eamque interminatis quaſtionibus, quantum in ipſis eſt involvere, & implicare conantur.*

Atque hic alter fructus eſt, quo ſanè periculoſior evadit hæc hæreſis; nihil non tentat quo morbum ſuum velet, furo-

rem

rem zelum existimat, & pertinaciam, constantiam : quidquid contra eniteris, mille effugia, mille gyri & anfractus, in promptu sunt. Si caput apprehensum esse existimas atque attritum, aliquò elabitur, & assurgit à casu turbulentior: denique hoc agunt, qui hunc labyrinthum semel quasi aram arripuerunt, ut EIS IN ECCLESIA TUTO LICEAT ESSE HÆRETICIS. Consilium enimverò quo non est aliud perniciosius, quod si antè hunc diem, satis hæretici edocti fuissent, nulla jam ea secta est, quæ se ab Ecclesia Romana & Apostolica discessisse fateri deberet, nulla erit post hanc ætatem, quæ non eâdem viâ (nisi omnis ad eam aditus tandem intercludatur) omnem potestatem eludere possit, & hæretica tametsi maximè fuerit, Romanam se & Apostolicam impunè mentiri non possit.

Hoc pessimo consilio, nullà non hæresi periculosior est hæresis Jansseniana: sensit hoc Gallia, & diu multumque frustra se illi exstirpandæ fatigans, sensit subscriptionem *Formularii*, ex more majorum, seu profitendæ fidei, ut fue-

rat ipsa olim medium necessarium eliminandæ è Belgio hæresi Lutheranæ, ita magis necessarium esse, eradicandæ hæresi Jansenianæ; quale, cum & à summa atque utraque potestate habitum fuit, illud in hunc diem constanter pergit adhibere: idem evenit in Congregatione Berulliana, in hac, quamdiu subscriptio *Formulæ* imperata non fuerat, celare se poterat Quenellus, at ubi ea singulis injuncta est mense Septembri 1678. tum demum apparuit, *subscribere* recusando, quis esset, & cognitus ut statutis pœnis se eriperet, vagus diu delituit ac profugus.

Enimverò cui non facile ex his omnibus ita incidit: necessaria sunt ea media in Catholica Patria, quibus pro temporum exigentia intelligi possit, num quisque in singulis Catholicè sentiat: Catholicus interea non est, qui licet in tenebris conticescat, interius Jansenianî libri sensum in V. propositionibus damnatum ut hæreticum damnare non vult; hoc verò non intelligitur, neque hic animus aperitur, nisi dum cum indicat sincera subscriptio *Formulæ*,

læ, & qui ei ſubſcribit intelligit, ac ut debet exiſtimat, ex Conſtitutione Clementis XI. *Damnatum in V. propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ab omnibus Chriſti Fidelibus ut hæreticum non ore ſolum, ſed & corde rejici ac damnari debere: nec aliâ mente, animo aut credulitate ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe*: unicè igitur neceſſarium eſt hoc medium, ne in Catholica patria homines deliteſcant, de quibus an omnino & in ſingulis Catholicè ſentiant, intelligere non poſſint, qui debent.

Hoc ſuis Conſtitutionibus judicant Summi Pontifices, precibus ſuis Epiſcopi, & precibus obtenti remedii, conſtantiſſimo uſu, omnium Decretis confirmato, judicat teſtimonio ſuo, atque illius obſervatione Univerſitas Lovanienſis, judicant omnes ſuperioribus ſuis fideles ſubditi: de te ego non dubito, qui vel hinc medium hoc magis neceſſarium eſſe exiſtimas, quia illi, morbo hoc laborantes, magis obluctantur, adducendi ſunt enim reluctantes ad ſpeculum quod maximè horrent, ut quod verentur, appareant qui ſint.

Vale, & quoniam, ut heſternus ex Urbe nuntius ad nos attulit, jam *Apoſtolica Cenſura*, in refutatum hac Epiſtolâ *folium* animadvertit, tu apud te recole, quantum ſeu poteſtate ſeu conſiliis tuis conferre poſſis, ut & ad te illa Clem. XI. dirigi poſſe exiſtimes, *Ne patiaris ut tot labores, ac ſtudia, quæ exterminandæ* è Belgio *peſſimæ hæreſis contagioni adhibitæ ſunt, paucorum hominum veſaniâ fructu evacuentur: ſileant inquieti homines, coerceantur protervi, pareant contumaces, & quos Eccleſiæ manſuetudo non flectit, poteſtas Regalis compeſcat ac conterat: ut palàm fiat omnibus eam inter Sacerdotium & Imperium, miſerante Domino, vigere concordiam, ut impunè non liceat turbulentis ingeniis ac numquam cavillandi finem facientibus*, ECCLESIASTICAS SIMUL AC REGIAS LEGES INFRINGERE.

Pag.	lin.	ERRATA.	lege.
24.	7.	ſortirentnr.	ſortirentur.
32.	15.	ſingi.	fingi.
36.	4.	qualiiatis.	qualitatis.
41.	21.	præſcripta.	proſcripta.
42.	1	ſuis ipſis.	ſuis ipſe.
46.	3.	eodem anno.	anno 1696.
47.	6.	ſerbit.	ſcribit.
52.	10.	*Reddente.*	*Reddentes.*